Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26050
Copyright: Admont, Benediktinerstift

169

demonstratur in nullo a patre differens. quia de deo deus.
de omnipotente omnipotens. de eterno natus est coeternus. non posterior
tempore. non inferior potestate. non dissimilis gloria. non divi
sus essentia. Idem vero sempiterni genitoris unigenitus sem
piternus. natus est de spiritu sancto et maria virgine. Que na
tivitas temporalis illi nativitati divine et sempiterne
nichil minuit. nichil contulit. sed totam se reparando homini qui
erat deceptus spopondit. et ut mortem vinceret. et diabolum
qui habebat mortis imperium destrueret. In quo etiam conflictu
pro nobis inito. magno et mirabili equitatis iure certatum est. Dum
omnipotens deus cum sevissimo hoste non in sua maiestate. sed in nostra
humilitate congreditur. obiciens ei eandem formam. eandemque
naturam. mortalitatis quidem participem. sed peccati totius ex
pertem. Non enim possemus nos superare peccati et mortis auctorem
nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret. quem nec
peccatum contaminare. nec mors potuit detinere. Con
ceptus quippe est de spiritu sancto intra uterum virginis matris.
que illum ita salva virginitate edidit. quemadmodum sal
va virginitate concepit. An forte putavit hereticus ille
dominum nostrum ihesum christum non nostre esse nature. quia missus an
gelus ad virginem ait. Et virtus altissimi obumbrabit tibi.
ideoque quod nascetur ex te sanctum. vocabitur filius dei. ut quia con
ceptus virginis divini muneris fuit. non de natura
concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intellegenda
est generatio. singulariter mirabilis. et mirabiliter sin
gularis ut per novitatem creationis proprietas remota sit
generis. Fecunditatem enim virgini spiritus sanctus dedit. Veri
tas autem corporis sumpta de corpore est. et edificante sibi